



**Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

XXXVI. In Domin. VII. Post Pentec. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Matth. 7 Arg. Pseudo prophetæ in scenam dantur.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)



## CONCIO XXXVI.

IN DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Matth. 7.

## ARGUMENTUM.

PSEUDO-PROPHETÆ IN SCENAM DANTVR.

I. **N**compertum mihi omnino est, an veteribus recentiores Pseudoprophetæ respondeant. *Aud.* Quum enim nequitia sibi non constet, sapius cum tempore genium mutat. Id tamen extra omnem controversiam est, signa ex quibus veteres discernere eos soliti, heteroclitica esse, & æquè falsis, ac veris communia vitiis. Nec quicquam enim verat, vel simias Prophetarum, pellibus ovium, suam obtexere malitiam, vel germanos suam honestare modestiam. Vulgaris hic habitus æque Sodomitarum, atque Palæstinorum est. Certò itaque distingui ab invicem signis exterioribus neutiquam queunt, quæ usu ipso ovibus ac lupis reddita sunt consanguinea.

Verumtamen utut nonnullorum aciem personato fascinent habitu, omnes unâ fallere nullatenus queunt. Cum lupum toto exuerint vultu, ac habitu, cauda eundem, vestigiisque produnt. Hos ego non tam meo,

quam aliorum scrutinio agnitos in scenam daturus, vos, monito Domini instructos quatenus caveatis, arrectos percipio.

## PARTITIO.

II. Argutissimus ævi nostri Bahusius uno versiculo præcipua falsorum Prophetarum capita scitè complexus est, ita scribens:

*Vnum Grammaticum, Logicumque &*

*Rhetora vita;*

*Hos si vitaris, cetera tuta tibi.*

Hos verò manifestaturus planius, aliud subdidit distichon:

*Quis Rhetor? mundus; fallax Logicus*

*Cacodæmon;*

*Semper declinans est caro Grammaticus.*

## §. I.

*Primus Pseudo-Prophetes Rhetor*  
*producitur.*

III. **I**rimus vanus Augur Rhetorum instar, supplantans mundus est.

*Rhetor;*

*Pseudophe-  
ta tres qui  
sint.  
Bahus. lib.  
1. Epig.*



Rhetorum  
officiū.

Rhetorum officium est, rem aliqui vilissimam miris encomiis efferre, dignissimamque amore, & æstimatione venditare. Unum culicem, pulicemque cinereum, aut funereum, unum ovum, rapamve, lutum ipsum phalerata eloquentiæ pompâ in tantum adornant, ac si necquicquam amplius usibus nostris commodaret, aut nihil excellentius toto in orbe inveniretur. Vel ex adversum rem aliqui eminentissimam in tantum extenuant; ut vix sputo ac luto digna habeatur.

Ecclesi 1.1.

Suppar Rhetoribus hac in parte mundi genius est, vilissima magnificat, magnifica vilificat. Nam quid quæso sunt terrena omnia, nisi somnia; nisi momentam statera, nisi umbra pertransiens, nisi vanitas vanitatum; seu ut alia lectio habet: *Nihilum nihil, & omnia nihil.* Et nihilominus lucrum minimum in tantum appendit, perinde ac si in eo vita, salus, & faustitas verteretur. Futilem gloriæ umbellam ita exaggerat, ut hominem ejus desiderio incensum, sui impotentem reddat, ad ardua quævis ejus amore tentanda extimulet, ad vitam ipsam alex exponendam inflammet. Formam, fragile bonum, in tantum honestat, ac si illa summum bonum foret, in quo, & animus conquiesceret, & desideria irrequieta suum fortirentur finem. Unde hoc? Quia Rhetor est mundus, & sua non quidem verbis, sed repræsentatione, ludificatione, præstigiis exaggerat.

Mundus  
perspicillis  
visitur.

IV. Quæsitus Ascetarum quispiam, qua ex causa mundus major, meliorque multis videretur, quam revera sit; reposuit, eò quod res mundi per conspicienda contempleretur.

Ideo enim dignitas, & magistratus quodvis officium splendidius, eminentiusque nobis apparet, quoniam per conspicienda præconcepta imaginationis, vel etiam ambitionis illud contempleretur. Ideo opes tam proficue incutunt, quod illas conspiciendis, quæ avaritiæ, quæ cupiditatis, quæ superflue anxietatis intueamur. Ideo alia mundana gaudia laureata ducimus, quod hoc fascino illudamur. Tolle ista, aliasque mundi officinas, & opes perinde ac lutum calcabis, aut cum Paulo tanquam iterora arbitaberis; gaudia exotica perinde ac toxica effugies, honores veluti umbras noxias declinabis.

V. Vidit, credo mundum remotâ crystallo Balthasar rex, quem tertiam regni partem somnium interpretanti promisit, Herodes, cum dimidium regni pro saltu unico exposuit; Diabolus, cum totum dilargiretur ab unam genuflexionem. Quod si eandem & nos semoveremus, nec tam præsentiam suâ blandientem, quam in exodo cruciantem contueremur, profecto eandem trutinâ illum appenderemus, nec tantis dignum curis, laboribus, angoribus duceremus.

VI. Utitur item mundus, haud secus ac Rhetor metaphoris, ac tropis aliis, idque quæ nominum, quæ rerum.

Mundus  
tropis utitur.

Nominum quidem, quando à Solis jubare transducta similitudine, alios illustres & perillustres, alios Illustrissimos, ac Serenissimos indigitat. Vel etiâ ab operibus aliorum heroicis magnificos, consultissimos, famatissimos appellat. Vel à talentis divinis, aut naturæ donis effert, & gratiosissimos, reverendissimos.



rendissimos deprædicat. Quæ tamen omnia proprius ipsis conveniunt à quibus transumpta sunt, quam iis, quibus per translationem attribuuntur.

Rerum itidem, quum aliena, tanquam propria administrat, tanquam absoluti juris dispensat. Scimus autem, quod nihil intulimus in hunc mundum, & procul dubio nihil inde efferemus. Scimus, quod talenta nobis concredita sunt ad negotiandum, non tradita; oppignorata non donata; & nihilo secius perinde ac si nulla de illis reddenda esset ratio eadem vendicamus, profligamus, dilapidamus ad injuriam etiam Creditoris Domini nostri.

Mundus sy-  
cephanta.

VII. Utitur tertium non secus, ac Sycophanta Rhetor Ironiis, seu illusionibus, cum aliud ore, aliud mente versat, aliud loquitur, aliud intendit; amicum salutat & ut inimicum jugulat.

Id liquido ostendit in Joabo, Duce exercituum maximo, Davidis regis Is audito Amasa ad se adventu, effudit sese illi obviam in amplexum, blandissimèque eundem exosculatus, ait: *Salve mi Frater.* Nunquam secundioribus influentiis sidera domum irrorarunt meam, quam cum omni Phœbo illustrius eandem præsentia tuâ irradiare dignatus es. Proinde si vel in Memnoniam animus mihi statuam lapidesceret, non possem non in liquidissimum gaudiorum concentum animari, quum te amicum sidus, radiis exoptatissimæ præsentia effulgentem accipio. Vive in mille millia frater dilecte, & quantum mihi vultus tui impendio indulges, tantum tibi de cælis effusissimi apprecor. Verum dum hæc

2. Reg. 20.  
9.

ore perorat, & basio dicta obsignat, sicà ex improvise educta eundem configit: *Dixit Ioab ad Amasam, salve mi Frater, & tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum, sinistra vero ferrum visceribus immerfit.* Hanc ejus vafritiem notans D. Augustinus exclamat: *O munde proditor, cuncta bona promittis, & cuncta mala profers. Promittis vitam, sed donas mortem. Promittis gaudium, sed largiris mœrorem; promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed cito evanescit; promittis stare, sed cito recedis.* O munde, proditor! ô versipellis histrio! ô sycophanta phalenate! Tu quisquis es hinc sapere discas, & dum tibi dicit Ave, tanquam ab hoste cave.

S. August.

S. II.

*Alter falsus Prophætes Caco-  
dæmon.*

VIII. Alter personatus vates, qui æmulatur Logicos, est odibilium Sophorum princeps ipsemet Sathanas. Ut enim Logici, ac sophistæ, variis fallaciis elatichi, dictionis, æquivocationis, suppositionis, aliisque utuntur ad fallendos alios: ita non minus mille fraudum artifex Caco-dæmon. Nec secus, quam Protheus Ægyptius in omnem sese formam, speciemque componit, oculis, mentique impositurus nostræ. Ut enim excidit à veritate in qua non stetit; ita nec quicquam illi familiarius errore est, quem niveo, argenteo ve vestit amictu, & verborum phaleris, quasi purpurâ honoratâ, quo cupidius excipiat. *Ea est.* (ait Cyprianus) *diaboli astutia, ea circumveniendi*

S. Cypri.  
tract. 3. de  
Prælat. sumpt.  
homines

Xx



homines caca, & latebrosa fallacia; ut afferere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem pro obtentu spei, perfidiam sub pretextu fidei, Anti-Christum sub vocabulo Christi, ut dum verisimile mentitur, veritatem subtilitate frustratur.

Mon. 3. 5.

Ita primos parentes nostros circumvenit, promittendo illis vitam inocciduum: *Nequaquam moriemini*: Item scientiam divinam: *Scientes bonum & malum*; insuper divinitatem: *Eritis sicut dii*. Et tamen nihil horum præstitit, nec præstare potuit. Ita etiam num naso non paucos suspendit ut præcipiter.

Diabolus  
utitur fallacia  
sua: hinc

IX. Et ut planius progrediar, utitur imprimis fallaciâ Elenchi, quando aliquid dicit, aliquid subtrahit, vel verba dividit, alioque sensu accipit. Sic utitur S. Scripturæ testimoniis non ut doceat, sed ut fallat; non ut illuminet, sed ut caligne errorum involvat. Exploderetur enim extemplo error, si nudus proponeretur, nec sipario quopiam sacræ paginæ ad fallendum incautos involveretur.

Item fallacia  
aqui-  
vocationis.

X. Utitur itidem fallaciâ æquivocationis, quando umbratiles delicias pro veris, falsam pietatem pro sincera, vitium pro virtute substituit. Pōnit ante oculos formas ilices dulcium rerum, atque formosarum, Luxuriam cæsto Veneris, & gratiis omnibus completam, ambitionem coronatâ veluti pompâ incedentem, & tenentem viam, ad illustrem felicitatem, lucrum ingens, possessiones amplissimas, jocum & ludum, ac mensarum cupidias, & usuram multiplicium voluptatum falsæ imaginis objectu exaggerat; ut difficile sit inter vitium ac virtu-

tem, bonum ac malum discernere, aut resistere. Hac viâ identidem illuditis sagis, stercus pro placentis, ranas & aspides pro pullis, aut piscibus apponendo.

Hac arte fefellit Radbodum ducem ad labora Christi non mediocriter propensum. Pollicitus enim illi Elysios campos, palatium perquam splendidum, omniumque sensuum illecebris refertissimum exhibuit. Inibi adblandiebantur eidem multicolores scenæ, quâ florum, quâ emblematum, quâ Nympharum veteratoriâ arte propositæ. Aures Orpheus, Arionque pergrato demulcebat cytharæ murmure. Ad gustum exaturandum Noemiæ, tanquam in navale voluptatis illata videbatur. Alii itidem sensus suo luxuriabant in objectu. Hanc Odysseam Basilicam, cum secundum fata eidem fallax Ulysses pollicitus esset, hominem ita inescavit, ut obstinato ad perfidiam animo decesserit.

Radbodus  
illusus à  
diabolo.  
Vincent in  
spec. hist.  
lib. 23. c.  
146.

Eadem ratione circumscribit quospiam sæculi jugo mancipatos, quando illis transitoria hæc gaudia, perinde ac æterna; hæc bona caduca non secus ac immortalia, præsentem inanem gloriam, instar cælestis adoretæ, ac laureolæ proponit. Cum tamen hæc omnia mera sint somnia, & intuitu æternorum minus, quam umbra.

XI. Utitur tertio fallaciâ consequentis, quando ex antecedente vero, aliud iniquum infert. Hac ratione misericordiam Dei impiis in tantum extollit, divinamque Astræam exterminat; ut sublato omni timoris fræno, in peccata eò proniores, quò metu solutiores agat. Hac eadē prima fronte ad

Item consequentis.

quæ-



quædam virtutum officia suos invitat, non ut veram virtutem, germanamque justitiam exercent; sed ut prætextu illius ad falsam suâ fiduciam, aut inanem gloriam inducat. Quos enim intelligit virtutem medullitus complecti, cæteraque intuitu ipsius fastidire, illos aliâ viâ, nisi forte ejusdem virtutis specie illusos supplantare se posse distidit.

Dan. 6. 5.

Cujus res typum exhibuisse mihi videntur illi perversi regis Persarum summates, qui cum variis argumentis, atque officiis Daniele in invidiam apud regem vocare niterentur, nihilque ex sententia cederet, id secum consilii inierunt: *Non inveniemus huic Danieli aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui; Quidvis enim patietur prius, quam eam violare audeat.* Eam ob rem induxerunt regem, quatenus imperatorio decreto ediceret, ne ullus quicquam ab ullo Deorum, præterquam à rege per triginta dies auderet petere. Factum id in speciem regis magnificentis, vel divinitatis cuiuspiam certis ostentandæ; revera autem ad fallendum, atque illaqueandum Danielelem.

Eodem stratagemate pios homines circumvenire nititur Orcus, quos nihil, nisi quod Deo gratum sit amare intelligit; ideoque virtutem obtendit, ut in vitiorum præcipitium devolvat.

XII. Utitur tandem ut alia mitram, fallaciâ suppositionis, quando se ipsum ex principe tenebrarum transformat in angelum lucis.

Hoc astu circumducere dolosè nitetur S. Martinum Pontificem, quando in habitu ac persona Christi Do-

mini eidem apparuit, Hoc S. Julianam virginem, cum eidem in forma angeli se stitit. Hoc alios prodere ac perdere nisus est.

Ne itaque circumveniamini ab hoc Sophista, attendite, & discite, quâ arte eidem obviam eatis, ejusdemque technas dissuatis. Attendite, quoniam exercitatissimus, ac versutissimus est; attendite quoniam innumeri prope ejusdem officii circumventi; attendite quoniam si hosti bona temporalia infestanti occurreretis, multò solertius surripere nitenti sempiterna ac cœlestia refert. *Attendite quoniam non est nobis Eph. 6. 12. colluctatio (loquor cum Apostolo) adversus carnem, & sanguinem; sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitia in cœlestibus.*

## S. III.

*Vltimus Pseudo Prophetæ caro.*

XIII. **V**Ltimus perversus Augur, qui in modum Grammatici declinando fallit, est Caro nostra. Hæc enim virtutis viam primo accessu quadantenus asperam offendens, Herculeo eâ passu terere verita, inexuperabilem comminiscitur, & ad aliam vitiorum rosis primâ facie instratam, ignara exitus descedit. Illam itaque in Recto utrovis declinat pede, quando inaccessam, & aheneis septam mœnibus mentitur; In Genitivo quum debilitatem naturæ suæ obtendit; In Dativo cum sibi, nescio quæ indulta dispensat; In Accusativo, in eos qui ab itinere voluptatis avocant invehendo; In Ablativo, spiritum paulatim extin-

Caro Grammaticus.



guendo, & sui prope juris efficiendo.  
*Semper declinans est caro Grammaticus.*

XIV. Liber Judicum perhibet arbores, de principe sibi præficiendo anxias, ad varios regni candidatos suos internuntios destinasse imperii habenas delaturos. Et primùm quidem dixerunt oliuæ: *Impera nobis*, Haud teler arborum illustrissima in quanto discrimine versemur, quantisque sternamur cladibus, Indies cervicibus nostris secures imminet, & jam annosæ quercus, jam abietes, jam piceæ silvestres, jam aliæ, atque aliæ capite mutantur. Nonnullæ Isaiæ aut Simonis instar ferra crudeli diffiduntur, nonnullæ cum Bartholomæo excarnificantur, nonnullæ in frusta discerpuntur, futuræ demum pabulum Vulcani, & gehennæ. Tantis malis obviam itura uniuersa arborum natio, tibi præ cæteris fœces regni concordibus deferret suffragiis, tuoque sese pronam devovet imperio. *Veni impera nobis.* Tu nos athletas ad certamen iunges oleo, tu armis rubigine obductis nitorem pristinum restitues, tu famam nostram illustriorem reddes: *Veni impera nobis.*

*Iud. 9. 9.*

*Ibid.*

Quibus auditis replicavit illa: *Numquid possum deserere pinguedinem meam, quæ & dñi utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear?* Nunquam placidam sceptræ quietem certumque sui tenuere diem? Princeps haud ab similibus corporibus cœlestibus magnam venerationem, & nullam requiem habentibus.

Præstat proprio pasci adipe, quam turbatorum inter curas contabescere. *Numquid possum deserere pinguedinē meā.*

XV. Hac ratione spe præconcep-  
*Ibid. v. 10.*  
pta frustratæ, legationem ad ficum moliuntur. *Dixeruntque ligna ad arborem ficum: veni & super nos regnum accipe.* Nullo tractante effedum imperii, in extrema illud devolvitur præcipitia, nec secus ac sublato capite fatiscunt membra; ita interire nationem nostram necessum est summate nullo suffecto. *Veni & super nos regnum accipe.* Tu ficus ostendes adversariis nostris, fugillabique eorum impotentem dominatum. *Impera nobis.*

Quibus illa: Numquid possum deferere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, & ire, ut inter cœtera ligna promovear? An non siderata forem, si posthabitis delitiis meis, gloriæ umbratili velificaturus, curatum Oceano me committerem. Denauseant fastidita Tantalii triclinia, cui ficuum prostant bellaria. *Numquid possum deserere dulcedinem meam?*

XVI. His necdum fractæ repulsis  
*Ibid. v. 12.*  
tertiò mittunt ad vitem: *Locuta sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis.* Dignum ac iustum duximus tibi Domina sceptrum deferre, quæ tot calculos pro regno obtines, quot botros progerminas. Quisquis tuum fructum, is una te princepem legit. Vota omnium in tua sunt potestate, & tum difertillimè flauit, cum tu affluis: *Veni & impera nobis.*

Quæ respondit eis: *Numquid possum*  
*Ibid. v. 13.*  
*deserere vinum meum, quod latificat Deum & homines, & inter ligna cetera promoveri?* Vos ut video electores estis non populorum, sed poculorum. Aridet vobis vinum, non vitis. Serpebit ista humi nullo fixa palo; ut primum vindet.



vindemia finita fuerit. Incassum in fulcrum imperii adleiscitur, quæ ipsa suis niti nequit pedibus. Apage cum pomo imperii, quæ botris abundo. *Numquid possum deserere vinum meum?*

XVII. Typus hujus legationis in arboribus adumbratus ex nobismet ipsis desumptus est. Nos arbores sumus, nos indies imminente singulorum cervicibus falce mortiferâ cædimur, nos funditus extirpamur, nos gliscente in nobis flammâ sensim in cineres redigimur; plurimi etiam nostrum in inferni clibanum præcipitantur. Interim mittitur una, mittitur alia, mittitur tertia legatio: Impera tibi, dominare cupiditatibus tuis, retunde hostium tuorum impetum, viresque infringe. Adnitere, ut possideas regnum, tibi præparatum ab origine mundi. Id à te exigit Pater æternus, qui te condidit; id Filius Servator tuus, qui te lytro sui cruoris redemit; id Spiritus S. sanctificator tuus, qui te imprimis in sacro baptisate à peccato originali expiavit. Ad id te exemplo suo provocant sancti Dei, de sua salute jam secuti, de nostra etiamnum solliciti. Ad id stimulant Ecclesiastæ, illuminat ratio, manuducunt revelationes, prodigia, experientia prope ipsa.

Verùm quid replicat, quid auguratur caro? *Quomodo, ait, possum deserere pinguedinem meam? Quomodo possum deserere dulcedinem meam? Numquid possum deserere vinum meum?* Fierine potest, ut qui antehac ructare satiem non ore tantum; sed oculis, & auribus, & naribus sum solita, jam nunc inediâ me conficiam? Fierine potest; ut voluptatibus nuatium mittam, quibus à tene-

ris sum enutrita? Fierine potest, ut ego, quæ gemmâ bibi ambrosiam, jam lympham urceolo hauriam, quæ margaritis vixi, polentam liguriam? quæ calcavi stragula, plumisq; ac gossypio indormieram, jam in sacco stramineo resupiner? Fierine potest ut me contineam ab adamata amplexibus, à crapula in sodalitate, à vino incenso, à bellariis meis. Moriar citius, quam id evincam.

Quid inde eructat hic Apollo? Illud sane, quod quondam Epuloni: *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Mors procul est. Quid ultra? Id quod S. Augustino. Numquid poteris sine nobis vivere, quibuscum adolevisti? Numquid per tot annorum periodos, quibus victurus es, te omni gaudio exuere, voluptate privari, omnium exors deliciarum vivere. Ecce fractus vigiliis distabescas, inediis & cruciatibus conficiaris, tui jam corporis non custos, aut Patronus, sed carnis futurus. Quomodo poteris deserere pinguedinem tuam, dulcedinem tuam, vinum tuum?

Hæc pariave occinunt falsi Prophetæ vaticinantes mendacia, & loquentes somnia sua non oracula Domini.

Ea propter etiam atque etiam ingemino Domini monitum: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Attendite à primo vate supplantatore Rhetore, & dum vos infascinare satagit bullatis, phaleratisque colloquiis, dum sua bona magnificat, dum



2. 10. 2. 15. tropis, figurisque suis utitur, cogitate & recogitate illud Apostoli; *Filioli mei, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: Quia Transit mundus, & concupiscentia eius.* Transit potestas ejus, transit gloria, transit voluptas, transit abundantia, & vos miseros illius sectatores tandem jejunos ac famelicos, omniumque rerum inanes in litore æternitatis destituet. Discite non aristas, sed sarissas esse, quæ opulentum circumstant ad necem epulonem. Discite uni guttæ mellis, centum fellis esse mixtas. Discite, quæcunque festiva, simul festina. *Transit mundus, &c.*

Attendite ab altero Logico Alastore, qui tanquam Leo circumit quærens quem devoret. Nec tam vellus exterius considerate, quam fructus illius, finesque expendite.

Attendite demum ab inquilino Pseudo propheta, carne vestra, quæ quanto intimior, tantò plerumque nocentior, atque exitialis. Et dum longævam præcinit ætatem, expendite quid diviti inexploro factum sit; qui

eadem nocte illatus est sepulchro, traditusque tortoribus, qua frumenta statuit condere. Si fragilitatem obtendar, remissato cum Augustino, & exhortare temet: *Potuerunt isti & ista, & tu non poteris?* Potuit Agnes tredecim annorum virguncula, quæ non habuit, quò ferrum reciperet, ferrum vincere, mori adhuc nescia, sed parata. Potuit Guilelmus Aquitanix Dux in summa vitæ licentia educatus, loricam hamatam indumenti interioris loco multorum annorum spatio perpeti; tu non poteris sustinere vestem cilicinam modico intervallo? Potuere tot alii pueri, ac puellæ austeram vitam profiteri; & tu non poteris quod isti, & istæ? Si illecebrofis delitiis privare genium meum non sufficio, qui regnum Dei, quod vim patitur, possidebo?

Attendite inquam à falsis prophetis, & divina bonitas, quæ cautos custodit, quæ vigilantibus adest, non sinet vos tentari supra id quod potestis sufferere. Amen.



CON-